

- clarissimarum urbium iam fundamenta consumpta sint nec
11 quicquam extet ex quo appareat illas saltem fuisse? Non
 tantum manu facta labuntur, nec tantum humana arte atque
 industria posita vertit dies: iuga montium diffluunt, totae
 desedere regiones, operta sunt fluctibus quae procul a con- 5
 spectu maris stabant; vasta vis ignium colles per quos relu-
 cebat erosit et quondam altissimos vertices, solacia navigan-
 tium ac speculas, ad humile deduxit. Ipsius naturae opera
 vexantur et ideo aequo animo ferre debemus urbium excidia.
- 12** Casurae stant; omnis hic exitus manet, sive <ventorum> 10
 interna vis flatusque per clusa violenti pondus sub quo
 tenentur excusserint, sive torrentium <impetus> in abdito
 vastior obstantia effregerit, sive flammaram violentia con-
 paginem soli ruperit, sive vetustas, a qua nihil tutum est,
 expugnauerit minutatim, sive gravitas caeli egesserit populos 15
 et situs deserta corruperit. Enumerare omnes fatorum vias
 longum est. Hoc unum scio: omnia mortalium opera mortali-
 tate damnata sunt, inter peritura vivimus.
- 13** Haec ergo atque eiusmodi solacia admoveo Liberali nostro
 incredibili quodam patriae suae amore flagranti, quae for- 20
 tasse consumpta est ut in melius excitaretur. Saepe maiori
 fortunae locum fecit iniuria: multa ceciderunt ut altius
 surgerent. Timagenes, felicitati urbis inimicus, aiebat Romae